Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26089
Copyright: Admont, Benediktinerstift

graduum sine discretione meritorum. ab his in quae peruenimus.
mus. in ea quae nondum apprehendimus pia auiditate curra
mus. et ad mensuram consuetudinis nostrae necessarius aliquid
addamus augmentis. Parum enim religiosum se alio tempore
demonstrat, qui in his diebus non religiosior inuenitur. Un
de oportune auribus nostris lectio apostolicae praedicationis inso
nuit dicens. ecce nunc tempus acceptabile. ecce nunc dies salutis.
Quid enim acceptius hoc tempore. quid salubrius his diebus, in quibus
bellum uitiis indicitur. et omnium uirtutum profectus augetur.
Semper quidem tibi o anima christiana uigilandum contra salu
tis tuae aduersarium fuit. ne ullus pateret locus tempta
toris insidiis. sed nunc maior cautio et sollicitior est adhi
benda prudentia. quando idem hostis tuus acriori
seuit inuidia. Nunc in toto mundo potestas ei antiquae
dominationis aufertur. et innumerabilia illi captiuitatis uasa
rapiuntur. Renuntiatur atrocissimo praedoni a populis om
omnium nationum nium linguarumque. et nullum iam genus homi
num repperitur
quod non tyrannicis legibus reluctetur. dum per omnes fines terra
rum regeneranda in Christo multorum milium milia praeparantur.
et appropinquante nouae creaturae ortu. spiritalis nequitia
ab his quos possederat extruditur. Fremit ergo expoliati hostis
impius furor. et nouum quaerit lucrum. quia ius perdidit an
tiquum. Captat indefessus et peruigil si quas repperiat
oues a sacris gregibus neglegentius euagantes. quas per
procliua uoluptatum. per diuerticula luxuriae in diuersoria mor